

deo, repeto, si diversitas sexus, potissimum quoad corpus dependeret à forma & quidem tanquam à causa proxima, tum necesse foret formas utriusque speciei ab invicem differre. Cur? quia effectus est specie diversus, sexus à sexu, partes huic sexui propriae à partibus illi sexui propriis. Neque hoc debet esse mirum, cum in eodem corpore diversae partes praesertim homogeneae, v. gr. os à carne specie differant. *Aut [pergit] necessum est, ut causa plane eadem sit, re & nomine cum effectu?* non sane; quis verò hoc dixit? iterum ego? nullibi. Sed hoc dixi, effectus specie diversos oriri à causis proximis, non nisi specie diversis, v. g. si sanguis maternus est causa proxima & adaequata prolis foeminae, contradictionem implicat, eundem dicere causam proximam masculinae. *Aut necessum est, ut causa plane eadem sit re & nomine cum effectu?* Non necesse est. Nec quisquam ex mea sententia ita colliget, nisi qui laboret extrema imbecillitate iudicii. Sed exemplum percipite, *Ita, inquit, edificator erit domus, & qui domum struit, non posset scamnum formare;* Quæso fiat applicatio. Sequitur ne ex hoc, si foetus foemineus unice oriatur ex semine foemineo, ideoque semen idem esse cum foetu è semine oriundo? Et idem ne est causa voluntaria cujusmodi est artifex domum extruens & scamnum formans. Quamvis ne id quidem possit ex materia eadem & eodem modo utrobique disposita & necessaria atque adaequata. *Hæc, concludit, & plura alia [ô parce de aliis dicere ante Calendas Græcas, post quas nec prius hæc defenderis] sententiam Abdiæ Tremminus probabilem reddunt.* In cerebro scilicet Watsonii, nunquam verò a quod eum, qui æra lupinis in hoc negocio, qui distent, intelligit. Vide si placet *Decad. quæst. de anima ante hac ad disputandum à me propositam, quæst. 5.*

Quæstio IV.

An statuere, quòd causa similitudinis lineamentorum in liberis derivetur à Planeta natalitio ejus parentis, cui foetus similis est, & in genere, an quæ traduntur in Physica nostra Aristotelica de influentiis cœlestibus ex vanis Astrologiæ judicariæ hypothésibus fluant?

B 3

§. 1. Wat-